

peccata multa cognoscimis, seu adeò, remissa ei sunt peccata multa: Ratio seu medius Terminus hujus Conclusionis, quia dilexit multum. Argumentum ita se habet: Quicunq; diligit multum, et multa peccata sunt remissa. Valet Major, quia procedit fortiter à necessario effectu ad causam, quæ ratio argumentationis Johanni imprimis in Epistola Canonica admodum familiaris est. Causa est remissio peccatorum: effectus, subsequens dilectio. At qui hæc mulier multum dilexit. Quod in sensu incurrit. Ex huic mulieri peccata multa sunt remissa. Quod autem non sit causa consequentis sem rei, patet ex sequente inversa locutione: cuius minus dimittitur, minus diligit, v. 47. Et ex toto antecedente discursu: is maxime diligit & eam ob causam maxime diligit, cui & quia multa à fœneratore sunt remissa, v. 42. Quis ergo plus diligit? Ita igitur cùm in eadem re causa se habeat in antecedentibus & consequentibus, aliter quoque hoc loco habere se non potest, si sermo est de causa rei consequentis. At verò aliter se habet, re totâ inversâ, unde arguimus non causam rei, sed causam argumenti tractari hoc in loco, scil. argumentum contexi debet, quo convincatur ignorantia Simonis de jam facta remissione peccatorum, illius Medius Terminus appositi assumitur ex eo, quod in oculis incurrit, quodque Simon odiosè traduxerat. Ut igitur Salvator suum illis operibus honorem per Theoninum Simonis dentem vel etiam solam malam mentem ablatum restituat, dignatur illa eadem assumere in rationem, quâ Simonem deducat ad pœnitentiam, quam tis ηγή ποταπη illa quondam mulier jamdum egisset, & nunc animæ fidelis Deoque charissima esset,

S.58. Regeris: cur in Præterito loquitur Christus de dilectione, si de ea tanquam de effectu causæ naturæ prioris, remissionis peccatorum intelligit? Nonne dicendum fuisset: remissae sunt peccata multa quia multum diligit; dicit autem: quia multum dilexit? Hinc vel exinde apparet, quod loquatur de dilectione remissionem præcedente. Bellarm. Tom. 3 l. 2. de pœnit cap. 14. in quadam objectione sibi facta. Respond. Malè unum Præteritum attenditur, alterum prætermittitur aut imperite negatur. Nam præter Præteritum dilexit, adest ἀφέωντας, quod etiam Præteritum est, & malâ fide redditur ab interprete, remittuntur; pejori assumitur pro argumento ab objiciente Bellarmino loc. cit. Tenendum autem, quod